

semper plurimi fecit et semper sibi conciliare desideravit.

6* Nunc igitur vestrum est excellentissimi et optimi principes apud Caesarem Maiestatem et Serenissimum Ferdinandum regem totis viribus eniti velint saltem iam nunc post tot damna et calamitates, desolationes, incendia, caedes, rapinas tot millium christianorum in perpetuam et durissimam servitutem abductiones misereri miserorum christianorum et amplecti cum Principe meo, id maximis submississimis precibus ab eis efflagitante aliquam honestam, utilem toti reipublicae christianae salutarem concordiam, nec quaerant quod hucusque quaesitum esse videtis cum eversione christianitatis, ea quae Principem meum nullo modo facere decet. Qui enim adhuc repertus est si omnium gentium et saeculorum historiae relegantur qui diadema regale semel capili impositum sive capite deposuerit, nisi forte unus vel alter qui vel taedio publicarum curarum, vel animi potius vilitate relicto regno vitam privatam leguntur sponte fuisse secuti, quod quidem facere longe difficilius est in regno, non vi, non fraude, non in cuiusquam iniuriam occupato, sed sponte oblato per eos quorum erat regere nescio quo regni tempore predecessores sui affectati machinatione quaesita de eodem rege suo in novissimo eius praetio deserere, vel de patria hostibus prodita vel etiam de amicitia turcico regno Hungariae oneroso audio esse sparsa, eo procul sunt. Quod pace omnium dictum sit, ab omni veritate, et quodcumque vestris Dominationibus liberit, vel in publico, vel in privato non pigebit me eis exponere meram rei veritatem. Serenissimus Romanorum rex scio quae eius probitas est et singularis prudentia nihil in hoc egit ab initio sine ratione, ita enim credo persuasum fuisse suae Sacrae Maiestati regnum Hungariae iure uxorio, iure antiquorum contractuum, postremo iure electionis Posnaniae, suam esse. Ad quae ego nihil nunc respondeo, Non enim sum missus, ut supra dxi, ad contendendum, vel litigandum, sed ad concordandum, sed fuit aliquando tempus, de quo Sua Sacra Maiestas recordari optime potest quando princeps meus fuit paratus submittere ius suum arbitrio Principum christianorum, et inter alios, Sacratissimo Carolo Imperatori fratri germano adversarii sui, qui vel solus satis iustificare potest mea quidem sententia apud equos iudices causam principis mei sed iam pridem de iure ad unum ventum est et de verborum contentione ad gladios et res in eas angustias redacta est, ut rebus christianis sic

stantibus regnum Hungariae necesse sit vel in manibus remanere regis Joannis vel in nullius Principis Christiani. Sed quid ego de Hungaria loquor cum malum hoc longe ulterius et latius serpat? Vidistis puto, optimi principes, hostiles gladios, hostilem flammam non parvam Germaniae huius vestrae nobilissimae partem pervagatam, cuius rei culpam principes dissidentes in alterutrum referunt multi christianorum in ambos. Sed cuius cumque sit maior culpa hoc unum certo certius constat, et id omnes oculis videmus, nisi discordiis istis quamprimum finis imponatur peiora nos brevi, ac longe perniciosiora visuros et verendum esse, ne flamma ista occupet quicquid ubique germanici vel etiam christiani *nomini*s est, non ego et hostium et vestras christiani principes vires neque inficior magnam esse et validam potentiam vestram, sed quando erit ut vos concordibus animis contra hostem vestrum arma sumatis quam alta resident in animis nostris odiorum semina creditis nos ignorare quo animo sint inter se principatus christiani quam multi sint quibus suspecta sit vel concordia principum christianorum, vel aliquorum gloria ac potentia nihil loquar obedientia quam paratus nervis bellorum pecunia, quam numerosus et exercitatus miles, non solum bellis assiduis assuetus, sed etiam continuis victoriis clarus. Itaque, his omnibus consideratis et aliis quae lego causas bonitatis consulto praeterea agite quaeso per Deum immortalem Jesum Christum, magnanimi Principes, eradicate penitus ex cordibus vestris omnium odiorum semina, postponite omnes alias curas vestras, et hoc solum curate, ut possitis sapientissimis et optimis principibus persuadere id, salutem totius orbis christiani pacem et concordiam cum serenissimo Principe meo ineundam, hoc non solum Princeps meus Serenissimus summo studio hortatur, sed rogant supplices omnes nationes et provinciae coronae Hungariae subiectae optime certe de tota reipublica christiana ac etiam de hac vestra nobilissima natione germanica merita, quae tanto tempore pro vobis et quiete vestra fortissime pugnarunt. Quarum si tantus sanguis toties pro salute vestra effusus si tot campi, nunc etiam fratrum eorum ossibus albentes vos non commovent quid aliud creditis Austriam, Stiriam, Carniolam omnesque alia Turco vicinas provincias a vobis efflagitare et supplicibus votis a Deo optimo expetere, quae eandem esse vident conditionis suae vel bonae vel malae sortem quaecumque esse audierint horum vestrorum comitiorum de istorum duorum principum